



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Sect. v. De proprio & accidente.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

SECTIO V.

De Proprio, & Accidente.

Hæc sunt vltima duo prædicabilia, quorum solas definitiones interest scire.

Dico primò, proprium quarto modo, rectè definiti, *Quod de pluribus prædicatur in quale necessario*, seu quod emanat ab essentia subiecti, de qua prædicatur ad conuertentiam.

Primò dixi, *proprium quarto modo*; quia docet hîc Porphyrius, posse quatuor modis sumi proprium. Primò, pro eo quod speciei alicui soli conuenit, sed non omnibus eius indiuiduis; idest soli, non tamen omni, nec semper; vt esse Grammaticum, esse Medicum. Secundo, pro eo quod omni conuenit, sed non soli, vt esse bipedem. Tertiò, quod omni, & soli conuenit, sed non semper, vt *caneſcere in senectute*, inquit Porphyrius. Quarto, quod omni, & soli, & semper conuenit, vt esse discursiuum, esse admiratiuum. Hoc autem est proprium, quod hîc definitur.

Secundò dixi, *quod prædicatur de pluribus*; vbi nomine *plurium* intelligenda non sunt inferiora, v.g. inferiora risibilis sunt hoc, & hoc risibile; sed intelligi debent subiecta à quibus abstrahi potest, v.g. *Petrus est risibilis, Paulus est risibilis*. Certum verò est, quod proprium prout abstrahitur ab inferioribus, species est; non autem quartum prædicabile; quia risibile est species respectu huius ac illius risibilis, æquè ac homo est species respectu illius, & illius hominis. Sed in ordine ad subiecta specialem habet modum prædicandi, qui non conuenit nisi quarto prædicabili.

Tertiò dixi, proprium prædicari *necessariò*; quia scilicet fluit ab essentia, idest, posita essentia, necessariò ponitur proprium, aded vt essentia causa eius sit efficiens, & subiectiua, in quo differt ab accidente communi, quod non fluit ab essentia; eam enim respicit vt subiectum, non vt causam; reique conuenit ratione solius existentia. Proprium verò conuenit solum ratione essentia, ac proinde

Quandò addebam, illud dici, *ad conuertentiam de essentia*; ita scilicet, vt de quocunque verum est dicere, quod habeat talem essentiam, verum etiam est, quod habeat talem proprietatem; & contrà de quocunque verum est dicere, quod habeat talem proprietatem, verum etiam est dicere, quod habeat talem essentiam: quocunque v.g. risibile est homo, & contrà. Ratio conuertentia huius est, quia proprium emanat à rei essentia, nec habere potest aliam causam. Illa itaque duo sunt quæ proprium constituunt quarto modo, *præfluere ab essentia, & dici ad conuertentiam*.

Quandò tamen hoc non impedit, quin proprium aliud sit separabile à subiecto; frigus v.g. vt octo, est separabile ab aqua, cuius est proprietas; & hoc vocatur proprium physicum: aliud est omnino inseparabile, vocaturque proprium metaphysicum, quod realiter non distinguitur ab essentia, sed conceptu tantum, vt *risibile*. Non obstat, inquam, quia proprium illud physicum, licet secundum entitatem separatur ab essentia, non separatur tamen secundum debitum, idest etiamsi tali entitate proprii priuari essentia possit; seruat tamen semper illius debitum, aqua v.g. licet esse possit sine summo frigore, semper tamen illud exigit, & illud in se producit, modò non impediatur.

Dico secundò. *Accidens verbale, siue logicum*,

A rectè definiti, *Quod potest adesse, & abesse à subiecto sine illius corruptione*; quod intelligi non debet realiter & physicè, sed intentionaliter & logicè. Vel etiam definitur, *Id quod de pluribus prædicatur in quale contingenter*. Quæ posterior definitio ex iis, quæ dixi de proprio, clara est, & nullà eget explanatione.

Prior autem definitio Porphyrij obscurior est, eo quod accidentia quædam separabilia non sint à subiecto, quin corrumpatur subiectum, vt patebit statim. Explicantur itaque omnia, quæ in conclusionem posita sunt.

Primò dixi, *Accidens verbale, ac logicum* hîc definiti, & esse tertium prædicabile; accidens enim dupliciter sumitur. Primò pro eo quod opponitur substantia, seu pro eo quod inhæret subiecto; vt albedo accidens est hominis, diciturque accidens nominale, siue physicum. Secundo sumitur pro eo, quod contingenter afficit, & denominat subiectum, & de illo contingenter prædicatur, siue sit substantia, siue sit accidens; vt vestis accidens est hominis, de quo prædicatur contingenter. Illud vocatur accidens verbale, siue logicum, quod solum est tertium prædicabile.

Secundò dixi, accidens illud posse *adesse vel abesse à subiecto sine illius subiecti corruptione*; quod negabam posse intelligi de separatione physica & reali, quia multa sunt accidentia metaphysica, quæ separari non possunt à subiecto, cum ab eo non distinguantur. Morbus lethalis, mors, combustio, adesse non possunt subiecto sine corruptione subiecti; & tamen accidentia sunt. Existentia etiam accidentalis est creaturæ, cuius separatio realis, corruptio est subiecti.

Tertiò igitur intelligenda est separabilitas accidentis sine corruptione subiecti logicè, ac per conceptum; ita scilicet, vt cogitari possit ab intellectu subiectum cum tali accidente, vel sine illo, aut etiam negari, quin dicatur aliquid repugnans essentia subiecti; sic enim negari & affirmari potest existentia de homine, quin dicatur aliquid repugnans essentia hominis. Idem dico de morte, combustionem, morbo, quibus existentia hominis destruitur non destructa eius essentia. Quorum omnium ratio est, quia, vt dixi, accidens non conuenit subiecto ratione essentia à qua non fluit, sed ratione existentia. Et hæcenus satis sit de quinque prædicabilibus.

QVÆSTIO III.

De Prædicamentis.

Categorias decem, quibus mirabiliter totam gentium latitudinem complexus est Aristoteles, & singula suis veluti loculis assignauit, sola sibi sine dubio vindicat Metaphysica, cuius munus est entis vniuersalissimam rationem, & diuisiones exponere. Vnde tota hæc disputatio de prædicamentis tradita est in parte illa Metaphysicæ, vbi explicantur diuisiones entis, quarum sine dubio, præstantissima & scitu dignissima ista est. Superest ergo nunc solum vt breuiter ea dicam, quæ habet Philosophus de antepædicamentis, & postprædicamentis: prædicamentorum verò solæ definitiones hîc locum habent.

SECTIO

Definitio accidentis.

Proprietas separabilis.

Fluit ab essentia.

Plura de quibus proprium prædicatur.

Duplex proprii definitio.

Quadruplex proprii conceptus.

Accidens verbale & nominale.

Accidens non est semper physicè separabile.

Sed per conceptum.